NATALICIA

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANIAE

AB

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

DIE XXII MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXXV

IN AVLA MAGNA HORA XI PVBLICE CONCELEBRANDA

RECTORIS SENATVSQVE AVCTORITATE

INDICIT

EDVARDVS LVEBBERT

Praemissa sunt meletemata

De Pindaro nomorum Terpandri imitatore

BONNAE

APVD MAX. COHEN ET FILIVM (FR. COHEN)

1. A speciosissimo invento de Pindari carminum cum nomis Terpandri consensu cur multi eruditi tanquam a scopulo Sirenum refugiant.

Cum anno 1869 primum Rudolfi Westphal elegantissimum inventum de carminum Pindaricorum cum nomo Terpandri consensu innotuisset, quod postea anno 1880 egregiis Friderici Mezger studiis firmatum expolitumque est, nova quodammodo dies interpretationi Pindaricae illuxisse videri potuit; nam illo ἑρμαίῳ filum quasi Ariadnae philologis porrigebatur, quo in manus sumpto iam per splendidissimos carminum Pindaricorum labyrinthos sine sudore et nimio erroris periculo ambulare liceret. Verum, mirum dictu, non tantum, quantum augurari licebat, adsensum speciosissima coniectura invenit. Extiterunt qui capita erudita quassarent monerentque nihil in litteris periculosius esse, quam praeproperum triumphum. Neque prorsus, — id enim confitendum est —, stimuli illi in pectore pungentes et tundentes suo aliquo iuris titulo carebant. Illa enim nomi Terpandrici memoria, unde lux et salus carminibus Pindari petebatur, quantis ipsa tenebris involuta erat! Refulgebant quidem ex carminibus Pindaricis symmetriae cuiusdam haud dubie lineamenta. Sed ea num nomorum Terpandri vestigia continerent, an propriam quandam et peculiarem sibi legem sequerentur, nullo modo diiudicari potuit. Hoc ut plenius cognoscatur, locus ille et praestantissimus et vexatissimus apud Pollucem IV, 66, quo tota nostra de Terpandri nomorum compositione notitia nititur, paullo accuratius considerandus est.

2. Locus Pollucis IV, 66 de nomo Terpandri, unde lux Pindaro petitur, spissis tenebris obrutus est.

Pollucem quae ibi (IV, 66) de nomo Terpandri tradat ex Iubae Mauretani opere θεατρικὴ ἱστορία hausisse, acutissime Ervinus Rohde, de Pollucis fontibus p. 67—70 probavit. Iubae operis fragmenta collegit Car. Mueller, Fragm. Hist. Graec. III, 481. Quae apud Pollucem leguntur haec sunt IV, 66: μέρη δὲ τοῦ κιθαρῳδικοῦ νόμου, Τερπάνδρου κατανείμαντος, ἔπταρχα (ita cod. *C* = Heidelbergensis Palatinus no 375; hoc vocabulum

omissum in codice *A* = Parisino Regio no. 2670), ἐπαρχεῖα (sed μεταρχεῖα *A*), μεταρχά (μεταρχεῖς *A*), κατατροπά, μετακατατροπά, ὀμφαλός, σφραγίς, ἐπίλογος. Pro ἔπταρχα Iungermannus ἑπτά, Burettus ἔπταχα (conf. Od. ξ, 434); Boeckhius, de Metris Pindari p. 182 not. 16 init. ἔπαρχα, μέταρχα, omisso ἐπαρχεῖα, scribendum censet; Mezgerus, Pindar's Siegeslieder p. 24 de ἔπαρχα voce Boeckhio assentitur; pro metarcha, quam Pollux exhibeat, archam potius, quam ille omittat, ponendam fuisse. Bergkius in Litter. Graec. Histor. vol. II, Berol. 1883, p. 211 metarcham tuetur, ita scribendum ratus: κατανείμαντος ἑπτά· ἀρχά, μεταρχά, κατατροπά κτλ.

Summa igitur contentio est de eparchae et metarchae admittendarum iure. Westphalius, Proleg. ad Aeschyl. p. 79 quae apud Pollucem de eparcha et metarcha legantur, ad posterioris cuiusdam aetatis nomorum formam spectare censet, in qua ἐπαρχά idem, quod olim, priscis illis Terpandri temporibus, προοίμιον nuncupatum sit, significet, μεταρχά vero nihil aliud sit, quam vetustior ἀρχά, quae praecedente novicia illa eparcha ipsa quoque non potuerit nomen praepositione addita auctum effugere. Acerrimum deinde de metacatatropae recta collocatione certamen ortum est, quam — id quod caput propemodum totius quaestionis est — Westphalius p. 79 et Mezgerus p. 24 post omphalum traiciendam, Bergkius duorum Callimachi nomorum, hymni qui vocatur in Cererem et lavacri Palladis, compositione fretus (Hist. Litt. Graec. II, 213 et 219) eo loco, quo tradita est a Polluce, retinendam censet.

3. Terpandri, quae a scriptoribus vocantur, Prooemia sintne primae tantum nomorum partes, an ipsi nomi integri, quibus aliis ludorum sollemnibus praelusum sit.

Unum praeterea, in quo magna animorum dissensio orta est, accedit. Prooemia, quae a Polluce non commemorantur, multorum antiquorum testium consensu Terpandro tribuuntur. Plut. de mus. 4: πεποίηται δὲ τῷ Τερπάνδρῳ καὶ Προοίμια κιθαρῳδικὰ ἐν ἔπεσιν, et Suidas s. v. ἀμφιανακτίζειν] ᾄδειν τὸν Τερπάνδρου νόμον τὸν καλούμενον ὄρθιον, ὃ αὐτῷ προοίμιον ταύτην τὴν ἀρχὴν εἶχεν· "ἀμφί μοι αὖτε ἄναχθ' ἑκαταβόλον ᾀδέτω ἁ φρήν," ita enim emendavit versum G. Hermannus ad Aristoph. Nubes (Lips. 1830) p. 304. Hesychius s. v. ἀμφὶ ἄνακτα] ἀρχὴ νόμου κιθαρῳδικοῦ. Terpandri prooemiis gens Attica Eunidarum in sollemnibus sacrificiis usa videtur, siquidem fides habenda est Cratino, qui in fabula Εὐνεῖδαι versus illius Terpandrici mentionem fecerat; cf. Suid. l. s.: ἔστι δὲ καὶ ἐν Εὐνείδαις (ita pro tradito ἐν Εὐναίᾳ emendavit Dindorfius, conf. Meineke, Fragm. Comic. II, p. 59). Eunidae Athenis in sacris peragendis ritus sacros ad citharam canendo prosequebantur; Harpocratio s. v. Εὐνεῖδαι: γένος ἐστὶ παρ' Ἀθηναίοις οὕτως ὀνομαζόμενον . . ., ἦσαν δὲ κιθαρῳδοὶ πρὸς τὰς ἱερουργίας παρέχοντες τὴν χρείαν. Photius in Lexico ed. Naber, I p. 231: Εὐνεῖδαι γένος Ἀθήνησι μουσικόν· ἀπὸ Εὔνεω τοῦ Ἰάσονος καὶ Ὑψιπύλης; conf. Bossler, de Gentibus

Atticae sacerdotalibus (Darmstadii, 1833) p. 50. Cum igitur apud Pollucem de Prooemiis Terpandri οὐδὲ γρῦ sit, Mezgerus scriptorem ea omisisse censet, quod eius generis carminibus, quae in πανηγύρεων conventibus canerentur, communia fuerint; Westphalius in ἐπαρχᾶς nomine prooemia latere arbitratur; Bergkius denique, sagacissima coniectura usus, Hist. Litt. Graec. II, 213 not. 32 prooemiorum nomine Terpandri nomos integros omnino insignitos esse, suspicatur eodem modo, quo qui volgo hymni Homerici appellentur, prooemia rectius dicenda sint; huius rei rectam incorruptamque memoriam servatam haberi Schol. Arist. Nubb. 595: τὸ τὲ "ἀμφί μοι αὖτε" ἐκ τῶν Τερπάνδρου προοιμίων. conf. Bergkium, Poet. Lyr. Graec. vol. III[4], p. 9.

4. Cur de nodo Gordio, quem Pollucis locus nobis obicit, dissolvendo desperandum non sit.

Videmus igitur locum illum Pollucis, qui tam egregia ad Pindarum explicandum subsidia subministrare nobis videbatur, ipsum gravissimis difficultatibus impeditum esse; atque eam potissimam caussam fuisse crediderim, cur plurimi ex eruditis ab speciosissumo blandissumoque invento tanquam a Sirenum scopulis certissimam perniciem allaturis cavendum ad hunc usque diem sibi putarent. Sed quamquam utilissimum est, in litteris a blandis illecebris cursum abstinere, tamen ab illo quoque contrario periculo cavendum, ne nimia dubitandi et negandi cupiditate occaecati una cum blanda specie ipsum verum abiciamus. Pollucis locus sane nodum quendam Gordium nobis obicit, primo adspectu mirum quantum desperatum. Sed si recte eum intueare, non talis videbitur, qui ea patientia, quae his rebus debetur, adhibita dissolvi nequeat. Immo inter Pindaricorum carminum compositionis formam et nomi Terpandrici partium symmetriam, licet earum etiamnunc ordo et accuratior definitio incerta sint, tamen aliquam cognationem aliquemque consensum intercedere, negari vix poterit. Quare haec una nobis via relicta est, ut haec duo carminum schemata identidem diligentissime inter se comparando, quid alterum alteri lucis adferat perpendamus. Nihil in litteris desperandum et philologorum quoque illud solatium esse oportet: dum spiro spero. Westphali inventum tam pulcrum est atque tantopere simplicem innatumque veri sensum naturali et incompta quadam probabilitate ferit, ut nullo modo admittendum videatur, silentio illud, contemptu, oblivione enecari.

5. Ex Pindari carminibus pulcherrimam quandam partium symmetriam refulgere. — De carminis Ol. XIII *omphalo tripertito.*

Primum igitur, ut qualis sit in Pindari carminibus symmetriae lex, clare cognoscatur, unum nunc aliquod eorum paullo accuratius examinemus. In eo partium aliquam responsionem inesse, qui non praeiudicata opinione plane occupatus sit, semel admonitus

haud dubie concedet. De carminis Ol. XIII symmetrica compositione iam disseruerunt Westphalius, Prol. ad Aesch. p. 93 et 95, et Mezgerus l. s. p. 30 et 459. Carmen Ol. XIII scriptum est Xenophonti, Thessali filio, Corinthio, anno Ol. 79, 1 = 464 a. Chr. Schol. Pind. p. 268 init. Boeckh.: κατὰ τὴν οθ′ ὀλυμπιάδα νικήσαντι. Xenophon in una illa panegyri Olympiaca duorum certaminum victor renuntiatus est, pentathli et stadii; Pindar. Ol. XIII, 30 (Christ.) πενταέθλῳ ἅμα σταδίου νικῶν δρόμον· ἀντεβόλησεν || τῶν ἀνὴρ θνατὸς οὔπω τις πρότερον. Haec igitur tanta tam singularis et inaudita gloria fieri non potuit quin ad eximium canendi conatum poetam excitaret. Sed licet ponderosissima sint in hoc carmine Pindari cogitata et plane ad illam imaginem Homericam μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν || οἷοι νῦν βροτοί εἰσ', tamen eum in modum perspicue clareque omnia disposita sunt, ut tanquam in pulcro aedificio, ab architecto peritissime constructo, omnia uno conspectu lustrare possimus, nemoque, qui id spectet, nimia mole perturbetur vel opprimatur.

Iam igitur in media illa aedificii parte, quem omphalum vocare licebit, fabulam apud Corinthios domesticam posuit, in qua tecte quidem, nam artis est artem tegere, sed satis tamen manifesto summa totius carminis sententia indicatur. Continet omphalus narrationem de Bellerophonte, qui Minerva adiutrice Pegasum frenis perdomuerit, v. 50 (Σίσυφον μέν) —92. Bellerophon imago est summae fortitudinis, propositi tenacissimae, cum summa prudentia consociatae; nam non suis viribus confisus Pegasi domandi opus adgreditur, sed suasu Polyidi, Coerani filii, vatis, ad aram Minervae accubans somnum lymphaticum capit et a dea frenorum aureorum dono donatur; v. 75: δεῖξέν τε Κοιρανίδᾳ πᾶσαν τελευτὰν πράγματος, ὥς τ' ἀνὰ βωμῷ θεᾶς || κοιτάξατο νύκτ' ἀπὸ κείνου χρήσιος, ὥς τέ οἱ αὐτὰ || Ζηνὸς ἐγχεικεραύνου παῖς ἔπορεν || δαμασίφρονα χρυσόν. Heros igitur divina ope fretus ad summa tendit.

Omphalus vero tribus particulis constat: primum est introductio quaedam v. 52—62, qua omnino celebris illa et antiquitus conspicua in heroibus Corinthiis fortitudinis cum prudentia coniunctio praedicatur. Sequitur v. 63—86 narratio de Pegaso a Bellerophonte domito; postrema pars omphali v. 87—92 Bellerophontis in Pegaso equitantis res gestas atque postremo interitum, tam laetae spei minime respondentem, enarrat. Universus omphalus, ut in imagine architecturae persistamus, duabus partibus tanquam duobus acroteriis inclusus atque distinctus est, quas partes, donec melius vocabulum suppetat, interim catatropam et metacatatropam nuncupare liceat. Catatropa v. 47—52 (Κορίνθῳ) a Xenophontis laudibus ad omphalum orationem traducit; in Metacatatropa v. 93—95 poeta se iam nimium diu in rebus a praesenti laetitia et victoria alienis commorari fingit, metaphora admodum ei sueta usus: ἐμὲ δ' εὐθὺν ἀκόντων || ἱέντα ῥόμβον παρὰ σκοπὸν οὐ χρὴ || τὰ πολλὰ βέλεα κρατύνειν χεροῖν. Hae igitur sunt partes in medio totius carminis positae.

6. In carmine Ol. XIII quae responsio sit inter argumenta *archae* et *sphragidis*. Πτοιόδωρος et Πυόδωρος.

Iam latera utrinque ab omphalo porrecta consideranda sunt, archa et sphragis, ut sollemnibus in Terpandri nomo vocabulis utamur. Earum partium ambarum argumenta simillima inter se et invicem sibi respondentia poeta finxit. Cum enim plane singularis et sine exemplo propemodum esset unius hominis in eisdem ludis Olympicis duplex victoria, poeta robur illud gymnicum cum Xenophontis tum maiorum eius et omnino Oligaethidarum gentis, cuius una propago — et quae hercle propago! — est Xenophontis familia, celebrandum sibi proposuit. Ac ne longa ludorum et urbium, in quibus homines strenuissimi vicissent, series auditorum aures fatigaret, ita rem instituit, ut Xenophontis ipsius et proximorum victorias in archa, Oligaethidarum in sphragide palmas enumeraret. Et archa quidem v. 24—26 incipit a brevi Iovis comprecatione, quam ἐπαρχάν Mezgerus p. 30 vocat. Prodeunt deinde post ipsum Xenophontem eius propinqui, primum pater Thessalus, qui Olymp. 69, 1 = 504 a. Chr. ad Alpheum vicerat, Schol. Pind. p. 267 extr.: συμβέβηκε (νίκην) γενέσθαι . . . τῷ . . . πατρὶ Θεσσαλῷ τοὔνομα πρῶτον ἐν τῇ ξθ' Ὀλυμπιάδι; conf. Julii Africani Ὀλυμπιάδων ἀναγραφή ed. Rutgers, Lugd. Bat. 1862, p. 29.

Deinde avus procedit Ptoeodorus, Pind. Ol. XIII, 41. Hoc viri nomen ab Apolline Ptoo derivatum est, qui in Boeotia ad montem τὸ Πτῷον oraculum sibi condiderat, quemadmodum ipse Pindarus in egregio carminis in Apollinem fragmento apud Strabonem IX p. 412 et 413 cecinit; Boeckh, Pind. fragm. 70, pag. 595 et Bergk, Poet. Lyr. I^4, p. 407 περιδιναθεὶς ἐπῄει || γᾶν καὶ θάλασσαν καὶ σκοπιαῖσιν μεγάλαις ὀρέων ὕπερ ἔστα, || . . . καί ποτε τὸν τρικαράνου Πτωίου κευθμῶνα κατέσχεθε . cf. Steph. Byz. s. v. Ἀκραιφία· . . . καὶ ὄρος κληθῆναι ἀπὸ Πτώου παιδὸς αὐτοῦ (i. e. Ἀπόλλωνος) καὶ Εὐξίππης, ἢ ὅτι Λητὼ ἐκεῖ βουλομένην τεκεῖν καπρὸς ἐπιφανεὶς ἐπτόησε. Plura apud Paus. IX, 23, 6; Plut. de def. orac. 8 med. Nominis Πτοιόδωρος recentior quaedam forma Πτυόδωρος fuit, vid. Suid. s. v. cf. Meister, Griechische Dial. I, 236. Praeter Ptoeodorum avom Pindarus v. 42 Terpsiam et Eritimum nominat, de quibus ita nos scholia edocent, ut eorum auctores plenius stemma familiae Xenophonteae, quam quod e Pindari carmine elici potest, oculis usurpasse clarum sit. Schol. Pind. p. 276 med.: Τερψίου ἀδελφὸς Πτοιόδωρος, καὶ Τερψίου μὲν παῖδες Ἐρίτιμος καὶ Ναμερτίδας . . . τινὲς δὲ τοῦ Ναμερτίδα Ἐρίτιμόν φασιν, Ἐριτίμου δ' Αὐτόλυκον. Eorum igitur ex Xenophontis familia virorum innumerabiles plane victorias in ludis sacris extitisse Pindarus praedicat, v. 44 δηρίομαι πολέσιν || περὶ πλήθει καλῶν, ὡς μὰν σαφὲς || οὐκ ἂν εἰδείην λέγειν ποντιᾶν ψάφων ἀριθμόν.

7. De Isthmiis et Nemeis a Corinthiorum colonis in novam patriam Siciliam translatis. De carminis Ol. XIII *prooemio* et *exodo*.

In sphragide deinde post omphalum argumentum cum archae rebus maxume cognatum, aliquatenus tamen diversum, persecutus est poeta: victorias gentis Oligaethidarum, qui non in Graecia tantum orientali, tot coloniarum matre, e publicis ludis coronas sibi petierant, sed occidentalem quoque Graeciam, Siciliam, certandi studio adierant. Corinthiorum vero in Sicilia coloni, Syracusani et Aetnaei, ludorum in Peloponneso patriorum dilecta nomina in novas sedes secum attulerant. In his igitur Isthmiis et Nemeis Siculis non minus, quam in Peloponnesiacis, gloriam sibi pepererant cum alii ex Oligaethidis tum Xenophon; Pindarus v. 108: μαρτυρήσει Λυκείου βωμὸς ἄναξ, || . . . ταὶ δ' ὑπ' Αἴτνας ὑψιλόφου καλλίπλουτοι πόλιες. Ad haec Scholiasta p. 288 extr. αἱ ὑπὸ τὴν Αἴτναν . . . πόλεις. πόλεις δὲ λέγει τὰς Συρακούσας ... Ἴσθμια γὰρ καὶ ἐν αὐταῖς τελεῖται, ἃ καὶ ἐνίκησε Ξενοφῶν. Deinde ibidem Αἴτνας] τῆς Σικελίας πόλις· ἐκεῖ γὰρ ἄγεται ἀγὼν Νέμεα καλούμενος. In Isthmo vero et in Nemeis Peloponnesiacis sexaginta Oligaethidarum victoriae numerabantur. Schol. Pind. p. 287 ad vers. 143: ἑξηκοντάκις γὰρ ἀμφοτέροις τοῖς ἀγῶσιν, Ἰσθμίοις καὶ Νεμέοις, ἀνεκηρύχθησαν οἱ Ὀλιγαιθίδαι, ἐν ἑκάστῳ ἀγῶνι τριάκοντα. Poeta ipse hoc ita enuntiat v. 98: παύρῳ δ' ἔπει θήσω φανέρ' ἀθρό', ἀλαθής τέ μοι || ἔξορκος ἐπέσσεται ἑξηκοντάκι δὴ ἀμφοτέρωθεν || ἁδύγλωσσος βοὰ κάρυκος ἐσλοῦ. Hoc loco ἔξορκος idem est atque ἐξορκισθεῖσα. Christius in Fleckeiseni Annalibus vol. 119 (1879) p. 11 ἕξορκος proposuit, i. e. sexiens iurata, quod elegantissime quidem, sed praeter necessitatem coniectum. Haec igitur partium carminis symmetria, quam hactenus invenimus, sua se sponte nobis obtulit, simplici et naturali contemplatione, poeta ipso quasi manum porrigente. In his nihil inest, quod invitis atque iratis Musis poetae obtrusum sit. Nam ubi, obsecro, illud sit, quod itinere non recto, sed obliquo et torto consecuti simus? Nusquam hercle gentium est.

Sed ad finem nondum pervenimus. Sunt enim nonnullae etiamnunc partes in carmine Ol. XIII reliquae, quae quomodo se habeant quaerendum erit. Atque ante archam Prooemium est v. 1—23, quo Pindarus patriam urbem victoris, Corinthum, laudibus effert, in qua Eunomia, Dica, Irena habitent, in qua plurimorum utilissimorumque inventorum, quibus vita humana ornetur, origo et quasi incunabula sint: Dithyrambi, frenorum equestrium, aëtomatum in templorum architectura. Et cum summa illa prudentia, tot rerum inventrice, fortitudinem etiam coniunctam esse; v. 23: ἐν δ' Ἄρης ἀνθεῖ νέων οὐλίαις αἰχμαῖσιν ἀνδρῶν. Denique post sphragidem in extremo carmine Exodum invenimus, quae precationem continens paucis verbis familiam fortissimam, Graeciae decus, Iovi Confectori (τελείῳ) commendat; v. 114: ἄνα, κούφοισίν ἐκνεῦσαι ποσίν· || Ζεῦ τέλει', αἰδῶ δίδοι καὶ τύχαν τερπνῶν γλυκεῖαν. Iuppiter τέλειος multis locis Graeciae colebatur. Pausanias de Tegea urbe VIII, 48, 6: πεποίηται δὲ καὶ Διὸς Τελείου βωμὸς καὶ ἄγαλμα τετράγωνον. Corinthi quoque Iovem Confectorem cultum esse, acute Tycho Mommsenius inde collegit, quod, quem-

admodum Pindarus Pyth. I, 67 significat, Aetnae, in urbe Syracusis oriunda, hoc dei summi cognomen sollemne est: Ζεῦ τέλει', αἰεὶ δὲ τοιαύταν Ἀμένα παρ' ὕδωρ || αἶσαν ἀστοῖς . . . διακρίνειν . . . λόγον ἀνθρώπων. cf. Mezgerum p. 458.

8. Bellerophontis in carmine Ol. XIII imago licet splendidissima sit, tamen culpae cuiusdam umbra — more tragico — vacua non est.

Sed haec nostra disputatio de carminis Ol. XIII compositione non poterit absoluta videri, nisi quid tandem toto illo carmine Pindarus spectarit, statuamus et summam carminis sententiam definire conemur. Hoc enim demum supremo proposito invento omnium partium harmonia plane apparebit. Ac consilium quidem illud poetae, quo totius carminis quasi anima et vita continetur, maxume in omphalo elucere solet. Quamquam enim omnes partes generalis illius sententiae quasi spiritu afflatae sunt, tamen omphalus ea re praestat, quod in eo poeta haec terrestria et fortuita relinquens ad sublimia illa cogitata et praecepta evolat, quibus vitae humanae cum rebus divinis conexus continetur quaeque verum et sempiternum totius vitae fructum et auream quasi messem efficiunt. Carminis Ol. XIII summa sententia et summum praeceptum pulcherrimum est.

In Bellerophontis fabula Pindarus brevissime quidem, sed ita, ut sapienti sat esset, Bellerophontis tristem interitum tetigit, quem heros egregius et per totam ceteroquin vitam maxume pius et strenuus, nimia postremo felicitate corruptus ipse sibi paravit. Pindarus per aposiopesin loquitur v. 91: διασωπάσομαί οἱ μόρον ἐγώ. Hunc poetae nutum in fabulae Bellerophontis interpretatione magni faciendum esse, rectissime intellexit Carolus Friederichs, Pindarische Studien (Berolini, 1863) p. 22, qui optime monet, in carmine Ol. XIII tristem Bellerophontis mortem memoratam simile quid, licet non tam aperte, significare atque in carmine Isth. VI, 45, ubi Bellerophon tanquam aliquod humanae temeritatis exemplar terrorem incutiens proponitur: πτερόεις ἔρριψε Πάγασος || δεσπόταν ἐθέλοντ' ἐς οὐρανοῦ σταθμοὺς || ἐλθεῖν μεθ' ὁμάγυριν Βελλεροφόνταν || Ζηνός. Sed hic tam lugubris Bellerophontis exitus in carmine Ol. XIII lenissime tantum stringitur; in universum enim ibi quidem Bellerophon egregium est eius fortitudinis et virtutis specimen, quae non viribus humanis et robori mortali confidit, sed foedere cum deis immortalibus in intimo pectore icto ad summa et celsissima quaeque adsurgit. Nihilo minus unum est, quod in carminis Ol. XIII Bellerophonte tamen desideremus: non perstitit heros in illo virtutis cursu usque ad finem extremum; summa illa felicitas, quam post exactos labores consequitur, in summam ipsius perniciem vertitur, quoniam animus herois tantae felicitati non par fuit.

9. De carminis Ol. XIII summa sententia. Multa et varia esse hominum acute inventa; unum esse augustissumum: obsequium erga deos ad extremum spiritum servatum.

Sed minime hoc temperantiae et modestiae praecepto, quod sane ex Bellerophontis imagine relucet, summa iam totius carminis sententia conficitur; immo maius quiddam est, quod restat. Corinthus in carmine Ol. XIII celebratur ut rerum pulcherrimarum inventrix: atqui summum meritum semper eius profecto est, qui rem aliquam invenit; inventam imitari longe facilius est; quamquam memorem esse oportet, id ipsum: "summa invenire" ex deorum nobis beneficio obtingere, Ol. XIII, 16 πολλὰ δ' ἐν καρδίαις ἀνδρῶν ἔβαλον || Ὧραι πολυάνθεμοι ἀρχαῖα σοφίσμαθ'· ἅπαν δ' εὑρόντος ἔργον. Unus igitur heroum eorum, qui apud Corinthios rebus pulcherrimis inventis maxume inclaruerunt, Bellerophon est, frenorum equestrium primus, Minerva adiutrice, inventor. Atque hoc hercle invento gloriari ille potuit; non vulgaris illud est vel astutiae, vel vigoris, Pegasos et omnino equorum agilitatem hominibus subiecisse. Sed his omnibus artificiis atque inventis unum quoddam maius et augustius longe est, quod non tam ex animorum astutia, quam ex simplicitate gignitur, quod, quom tanta ceteroquin prudentia, fortitudine, pietate etiam esset, tamen Bellerophon nondum invenerat: hoc illud est inventum, quo omnes animi nostri impulsus et studia numinis divini consiliis celsissimis committimus. Hac re summum illud et celsissimum inventum continetur: nihil neque in rebus adversis neque in secundis a deorum immortalium praeceptis seorsum sentire, et divina et nostra humana consilia in unum unius harmoniae concentum consociare et conciliare. Is demum, qui huius harmoniae legem in pectore et invenerit et stabilierit, summus inventor et Corinthi et ubique terrarum audiet; is frenos aureos ipse sibi imponet, pretiosiores etiam, quam illi fuerunt, quibus Pegasum Bellerophon perdomuit. Iam igitur habemus, quo totum hoc carmen tendat; hoc praeceptum, omnium pectori infigendum, quasi anima est, per totum illud carmen sparsa et disposita, quae intimos eius angulos illustrat.

10. Ea est symmetriae lex apud Pindarum, ut eam non tormentis exprimi necesse sit, sed ut facillimo negotio eliciatur. — Tria nihilo minus argumenta refragantur.

Iam si symmetriae legem contemplemur, ad quam carmen compositum est, nonne septem illae partes, omphalus in medio collocatus et ternae illae ab utroque eius latere partes, ultro sese et nullo cogente offerunt? Ubi, quaeso, est lectus Procrustae? ubi est equuleus et tormenta, quibus adhibitis consensum illum cum nomo Terpandri Pindaro

reluctanti et invito extorserimus? Haec, quae poeta praestantissumus praebuit, lubentissimo nobis animo, benigne, opinor, arridens concessit, summa, quae Musarum alumnum decet, ingenii facilitate atque commoditate. Haec omnia magnopere suadent, ut in eorum castra transeamus, quibus haec tessera est: Pindarum in carminibus suis Terpandri nomorum structuram et normam expressisse. Sed vel in summa verisimilitudine cautione opus est. Nunquam obliviscendum, quid elegantissimus Epicharmus in aurem insusurret, ac ne illud quidem sive Hesiodi sive Pitthei dictum volucre, quod Epicharmeo illo volgatius fere est: Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς, neglegendum nobis est. Accedit, quod nulla victoria tuta et firma putari potest, si insidias in tergo reliqueris, unde quolibet tempore novus et necopinatus impetus erumpere et omnem salutem in discrimen vocare possit.

Quare argumenta virorum eruditissimorum, acutissimorum, denique veri inveniendi cupidissimorum, quorum omnium nomina nunquam nisi honoris caussa a nobis nominabuntur, qui contrarias partes tuentur, accuratius nunc et subtilius consideranda sunt. Atque tria potissumum ab illis argumenta allata videmus, quibus freti omnem nomorum Terpandri imitationem a Pindaro abiudicandam illi opinantur. Sunt autem talia hercle haec argumenta, ut vel eum cui robur et aes triplex circa pectus sit, conturbare paullulum et labefactare possint. Quamquam ut triste omen averruncemus, iam nunc hoc adfirmare licet: non prorsus illa insuperabilia esse; sed sudore et constantia opus erit, fortasse etiam in universa illa imagine de Pindaro Terpandri imitatore paucula nonnulla reformanda et emendanda erunt.

11. Primum adversariorum argumentum: Terpandri nomos semper unius citharoedi voce sine chori ope cantatos esse.

Primi igitur argumenti, quo nomi Terpandrici regula a Pindaricis omnino litterarum monumentis excludi videtur, summa haec est. Constat antiquorum testium communi et indubitato consensu, nomos priscos, quales composuit Terpander, non chori voce, sed unius poetae vel eius, qui poetae partes sustineret, cantatos esse. Locupletissimus huius rei testis est Proclus in Chrestomathia in: Script. Metrici Graeci ed. Westphal, vol. I Lipsiae 1866, p. 244 sq., qui planissume enarrat: cum apud Graecos antiquissimos nomi a choris ad tibiam vel lyram cantati sint, in Creta primum Chrysothemidem, Carmanoris filium, hunc morem induxisse, ut solus poeta nomum sua unius voce ad citharam caneret, stolam magnificam et ad talos demissam indutus: τῶν ἀρχαίων χοροὺς ἱστάντων καὶ πρὸς αὐλὸν ἢ λύραν ᾀδόντων τὸν νόμον, Χρυσόθεμις, ὁ Κρὴς πρῶτος στολῇ χρησάμενος ἐκπρεπεῖ καὶ κιθάραν ἀναλαβὼν εἰς μίμησιν τοῦ Ἀπόλλωνος μόνος ᾖσε νόμον, καὶ εὐδοκιμήσαντος αὐτοῦ διαμένει ὁ τρόπος τοῦ ἀγωνίσματος. Proclus quod antiquissimo tempore nomum a choro cantatum sibi persuasit, inde explicandum est, quod secundum eius de universa nomi natura

et origine sententiam nomus ex paeane ortus est; Procl. p. 245, 27: ὁ δὲ νόμος δοκεῖ μὲν ἀπὸ τοῦ παιᾶνος ῥυῆναι. Hanc sententiam ut sequeretur Proclus vel vetustus eius auctor, loco illo notissimo hymni Homerici motus videtur, ubi vetustissimi Cretensium cantus Paeanes dicuntur, qui a choris canendo et saltando peragebantur; Hymn. in Apoll. Pyth. 336: ἦρχε . . . Ἀπόλλων || . . . καλὰ καὶ ὕψι βιβάς· οἱ δὲ ῥήσσοντες ἕποντο || Κρῆτες πρὸς Πυθὼ καὶ Ἰηπαιήον' ἄειδον, || οἷοί τε Κρητῶν παιήονες, οἷσί τε Μοῦσα || ἐν στήθεσσιν ἔθηκε θεὰ μελίγηρυν ἀοιδήν.

12. Arionis in navi canentis fabula documento est, orthium nomum ab uno cantatum esse. Timotheus chorum primus adscivisse dicitur.

Praeterea nomum unius tantum artificis voce cantatum esse, inde quoque apparet, quod in fabula de Arionis itinere maritimo Arion, antequam in mare desiliret, audientibus nautis nomum orthium cecinisse fertur; Herod. 1, 24: τὸν δὲ ἐνδύντα τε πᾶσαν τὴν σκευὴν καὶ λαβόντα τὴν κιθάρην, στάντα ἐν τοῖσι ἑδωλίοισι διεξελθεῖν νόμον τὸν ὄρθιον. Plutarchus eandem rem narrans pro nomo orthio nomum Pythicum nominat, idem sine dubio carmen sentiens, quod Herodotus, sed quod, quoniam Delphis saepe canebatur, Pythicum vocatum sit; Plut. Septem sapient. conviv. 18 med.: ὅτι προθυμία τις αὐτὸν ἔχοι τὸν νόμον διελθεῖν τὸν Πυθικόν. Nomum in universum usque ad Timotheum Milesium in ea conditione sibi constitisse, ut unius hominis voce caneretur, nullo chori alicuius interventu, unius alteriusve scriptoris testimonio constat. Clarissime rem adfirmat Clemens Alex. Stromat. I § 78 (vol. II p. 56 ed. Klotz): νόμους τε πρῶτος (volgo πρώτους; emendavit Volkmannus ad Plut. de Mus. p. 71) ᾖσεν ἐν χορῷ καὶ κιθάρᾳ Τιμόθεος ὁ Μιλήσιος. Proclus p. 245, 12: Τιμόθεος δὲ ὕστερον εἰς τὴν νῦν αὐτὸν (i. e. τὸν νόμον) συνήγαγε τάξιν.

13. Ne Timotheus quidem nomum integrum choro canendum tradidit, sed alternantes modo citharoedum solum, modo chorum adhibuit.

Sed ne Timothei quidem ea fuit in nomis componendis audacia, ut nomum integrum choro canendum committeret; immo magnam haud dubie partem nomi ab uno citharoedo peragendam curavit, fortasse praecipuam gravissimamque, in aliis chorum in auxilium vocavit. Hoc optime apparet ex pulchra apud Pausaniam narratione, qua tradidit VIII, 50, 3: cum Nemei forte ludi agerentur, Philopoemenem spectatorum coronae interfuisse; cumque ad musicum certamen perventum esset, clarissimum aetatis illius citharoedum Pyladem Megalopolitanum prodisse ad Timothei Milesii nomum omnibus acceptissimum, Persas, canendum. Tum vero, cum ille primum versum pronuntiasset hunc: Κλεινὸν ἐλευθερίας τεύχων μέγαν Ἑλλάδι κόσμον, omnium circumsedentium oculos in Philopoemenem con-

versos esse, ut tali poetae praeconio dignissimum: ἀπεῖδεν ἐς τὸν Φιλοποίμενα τὸ Ἑλληνικόν καὶ ἐπεσημήναντο τῷ κρότῳ φέρειν ἐς ἐκεῖνον τὸ ᾆσμα. Apparet sane ex hoc loco in nomis quoque Timothei unius etiamtunc sine choro cantoris partes aliquas fuisse, in initio potissumum: Πυλάδου . . . τότε ᾄδοντος Τιμοθέου νόμον τοῦ Μιλησίου, Πέρσας, καὶ καταρξαμένου τῆς ᾠδῆς. Convenit cum hac narratione Plutarcho, Philop. 11. Praeterea Plutarchus alio quodam, in libro de Musica, loco, cap. 4, de Timothei nomis eum in modum loquitur, ut magis rhythmorum antiquam simplicitatem noviciis Timothei artificiis immutatam indicet, quam morem illum cantandi sine choro derelictum declaret; Plut. de Mus. 4: ὅτι δὲ οἱ κιθαρῳδικοὶ νόμοι οἱ πάλαι ἐξ ἐπῶν συνίσταντο, Τιμόθεος ἐδήλωσε . τοὺς γοῦν πρώτους νόμους ἐν ἔπεσι διαμιγνύων διθυραμβικὴν λέξιν ᾖδεν, ὅπως μὴ εὐθὺς φανῇ παρανομῶν εἰς τὴν ἀρχαίαν μουσικήν.

Atque fuerunt, qui a Timotheo totum illum conatum nomorum ad choros transferendorum abiudicarent, quique Clementem Alexandrinum talia tradentem errore captum et admodum prave edoctum opinarentur. In hac sententia fuerunt duo viri harum hercle rerum peritissimi, Car. Herm. Walther, de Graecae poesis melicae generibus, Halis Sax. 1866 p. 66 et Henricus Guhrauer, der Pythische Nomos in Fleckeiseni Annalibus, Supplementorum vol. VIII (1876) p. 326. Bergkius contra, Hist. litt. Graec. II, 165 Clementis testimonio fretus Timotheum nomorum partes inter unum artificem, cantorem, et chorum distribuisse statuit, quod sane omnibus rebus reputatis probabilius videtur. Timotheum notum est fecundissimum nomorum poetam fuisse; Stephanus Byz. s. v. Μίλητος . . . . καὶ Τιμόθεος κιθαρῳδός, ὃς ἐποίησε νόμων κιθαρῳδικῶν βίβλους ὀκτωκαίδεκα εἰς ἐπῶν ὀκτακισχιλίων τὸν ἀριθμόν, καὶ προνόμια ἄλλων χίλια. In rhythmis eum antiquas regulas severiores funditus subvertisse ex Hephaestione apparet; Hephaest. Enchirid. p. 119 ed. Gaisf. Ἀπολελυμένα δέ, ἃ εἰκῇ γέγραπται καὶ ἄνευ μέτρου ὡρισμένου· οἷόν εἰσιν οἱ νόμοι οἱ κιθαρῳδικοὶ Τιμοθέου.

14. Alterum argumentum, quo freti Pindaricorum carminum cum priscis nomis cognationem negant, hoc est, quod nomi, Aristotele teste, antistrophis carent.

Iam alterum argumentum considerandum est, quo freti eruditi negant, Pindari carminibus arctius quoddam cognationis vinculum cum Terpandri nomis intercedere. Nomos illos priscos luculento Aristotelis testimonio constat ad antistrophicam symmetriam compositos non fuisse. Problema apud Aristot. Probl. XIX, 15 hoc proponitur: διὰ τί οἱ μὲν νόμοι οὐκ ἐν ἀντιστρόφοις ἐποιοῦντο, αἱ δὲ ἄλλαι ᾠδαὶ αἱ χορικαί; Respondetur, id ea de caussa fieri, quia in nomorum certamine soli certantes citharoedi prodeant, non chori. Citharoedis autem id maxume in nomis propositum esse, ut argumenti, quod nomi verbis enarretur, progressum, gradus, vicissitudines modis musicis pingant et imitentur. Nam nomorum

est ea natura, ut rerum, quae canuntur, multiformis varietas et factorum imago ad vitam quam luculentissime exprimatur.

Hanc nomorum proprietatem, qua a choricis illi cantibus maxume differunt, optime Aristoteles definit Probl. XIX, 15 in illo, quo problema supra indicatum explicatur, responso: ἢ ὅτι οἱ μὲν νόμοι ἀγωνιστῶν ἦσαν, ὧν ἤδη μιμεῖσθαι δυναμένων καὶ διατείνεσθαι ἡ ᾠδὴ ἐγίνετο μακρὰ καὶ πολυειδής; hoc est: "quod nomi eorum sunt, qui singuli certant, quibus quidem cum iamiam (i. e. omisso choro) rerum varietatem imitari atque omnibus viribus contendere liceat, fieri non potest, quin cantus (a cithara adiutus) largior et multiformis fiat". Nam ἤδη illud haud dubie chorum omissum spectat. Bergkius sane genetivom ἀγωνιστῶν de choreutis cantantibus intellegit, quoniam Aristotelis aetate a Timotheo chorus in nomos introductus sit; Bergk, Hist. Litt. Gr. II, 165, nota 179; verum hoc loco ἀγωνιστῶν vocabulum longe probabilius subtilis iudicii vir, Henricus Guhrauer, der Pythische Nomos p. 326 de citharoedis sine chori ope canentibus intellexit. Nam etiam post Timotheum ad antiquiorem morem artifices saepe redisse credibile est. Deinde verbum διατείνεσθαι in Aristotelis illa definitione intentionem virium in canendo et in cithara pulsanda significat, qua opus erat ad ea recte pleneque exprimenda, quae in nomo, pro argumenti natura seu laeta seu tristi, mirationem facientia narrabantur; ea enim musicis quasi coloribus pingenda erant. Atque διατείνεσθαι hoc sensu est vox Aristotelea: Ethic. Nicom. IX, 8 p. 1169, a, 8: πάντων ἁμιλλωμένων πρὸς τὸ καλὸν καὶ διατεινομένων τὰ κάλλιστα πράττειν. conf. Xenoph. Mem. 3, 7, 9: διατείνου μᾶλλον πρὸς τὸ σεαυτῷ προσέχειν.

Videmus igitur, Aristotelem hoc maxume ut nomis peculiare et proprium significare, ut cantu et modis musicis rerum varietatem aequent et prosequantur. Idque clarius etiam in sequentibus exprimit, quibus ad imitandi quidem artificium modos musicos verbis aliquanto efficaciores censet; Probl. XIX, 15: καθάπερ οὖν καὶ τὰ ῥήματα, καὶ τὰ μέλη τῇ μιμήσει ἠκολούθει ἀεὶ ἕτερα γινόμενα. μᾶλλον γὰρ τῷ μέλει ἀνάγκη μιμεῖσθαι ἢ τοῖς ῥήμασιν. Postremo vero in illo tractatu omnibus ambagibus omissis rem conficit: in antistrophicis carminibus imitandi illam artem et rerum vicissitudines exprimendi facultatem impediri; eamque ob rem nomos eadem de caussa antistrophos respuere, propter quam in chori canticis antistrophi legitimae sint: quod in nomis principatum teneat imitatio, in choricis eadem contra longe minus requiratur; Probl. ib. p. 918, b, 26: τὸ δ' αὐτὸ αἴτιον καὶ διότι τὰ μὲν ἀπὸ τῆς σκηνῆς οὐκ ἀντίστροφα, τὰ δὲ τοῦ χοροῦ ἀντίστροφα· ὁ μὲν γὰρ ὑποκριτὴς ἀγωνιστὴς καὶ μιμητής, ὁ δὲ χορὸς ἧττον μιμεῖται.

15. Apollo in urbe Cretensi Tarrha a draconis caede purgatur. Nomorum primordia ad Chrysothemidem Tarrhaeum referuntur.

Atque hoc quidem nomorum ingenium mimeticum, vivom et alacre, quale ab Aristotele describitur, plane congruit cum eis, quae de antiquissimo argumentorum genere,

quod nomis excolebatur, suspicari licet. Nomorum vetustissimus poeta Chrysothemis Cretensis est, Carmanoris filius; Proclus Chrestom. p. 245 ed. Westph. Novimus vero Carmanorem, Chrysothemidis patrem, eximium et maxume conspicuum locum in fabula quadam de Apollinis fatis obtinere. Nam Carmanor Apollinem, cum post interemptum draconem manibus caede pollutis deus fugiens in Cretam venisset, in urbe Tarrha a caedis macula purgavit et expiavit. Huius rei fama per universam antiquitatem clarissima fuit. Paus. II, 7, 7 de Apolline et Diana post caedem fugientibus: οἱ μὲν ἐς Κρήτην παρὰ Καρμάνορα ἀπετράποντο, et ex oraculo Phemonoae, quo Apollinis expiatio praedicitur Paus. X, 6. 7: φόνου δέ ἑ Κρήσιοι ἄνδρες || χεῖρας ἁγιστεύουσι· τὸ δὲ κλέος οὔ ποτ' ὀλεῖται. Tarrha est urbs in occidentali Cretae regione, ubi Carmanor degebat; ibi Apollo purgatus Acacallidem nympham, quae in domum Carmanoris commeare solebat, amavit, ex qua gemellos suscepit, Pylacidem et Philandrum; Paus. X, 16, 5: παῖδας δὲ αὐτοὺς οἱ Ἐλύριοί (ei vicini proximi sunt Tarrhaeis) φασιν Ἀπόλλωνός τε εἶναι καὶ Ἀκακαλλίδος νύμφης, συγγενέσθαι δὲ τῇ Ἀκακαλλίδι Ἀπόλλωνα ἐν πόλει Τάρρᾳ καὶ οἴκῳ Καρμάνορος. Deinde Steph. Byz. s. v. Τάρρα· πόλις Λυδίας . . . ἑτέρα Κρήτης, ἐν ᾗ Ταρραῖος Ἀπόλλων τιμᾶται.

Urbs igitur Tarrha cum cultu suo Apollinis a Carmanore expiati in rebus divinis caput quodammodo vicinarum regionum fuit. Lampa certe seu Lappa, urbs confinis, a Lampo Tarrhaeo nominata dicitur; Steph. Byz. s. v. Λάμπη· πόλις Κρήτης, Ἀγαμέμνονος κτίσμα, ἀπὸ Λάμπου τοῦ Ταρραίου. Ptolemaeus Geogr. III, 17, 10 Lappam vocat. Apollinis Tarrhaei sacra piacularia compluribus urbibus Cretensibus communia fuisse, ex Oraculo quoque, cognitu perquam digno, apud Eusebium, Praep. Evang. V, 31, 2 ed. Dindorf apparet, quod ex Oenomai opere Γοήτων φώρα (de hoc accentu conf. Hesych. s. v. φωρᾶν et Hymn. in Mercur. v. 385) ille sumpsit (cf. Euseb. l. s. V, 18, 6 et V, 21, 6), quo tres urbes Cretenses expiationum ritum Pythicum recipere iubentur: Φαίστου καὶ Τάρρας ναέται δίου τε Πολύρρου || Πυθῷον κέλομαι τελέειν Φοίβοιο καθαρμὸν || εὐαγέοντας, ὅπως Κρήτην καταναιετάητε, || ὄλβον μὴ πατρίοισι νόμοις καὶ Ζῆνα σέβοντες. Nam ita malim scribere cum O. Muellero Dor. I², 208 not. 5, quam quemadmodum Dindorfius excudit Δίου τε πολύρρου. Urbs enim Cretae satis clara fuit Polyrrhenion seu Polyrrhenia, quae, si oraculo illi fides est, Polyrrhon etiam dicta videtur. De ea proverbiorum auctores memorabilem historiam tradunt, unde sacra satis illustria eam quoque habuisse apparet. Suidas s. v.: οἱ Κρῆτες τὴν θυσίαν, παροιμία . εἴ ποτε ταραχώδης θυσία γένηται, Κρητικὴ καλεῖται, παρ' ὅσον Ἀγαμέμνων ἐκεῖσε χειμασθεὶς ἔθυεν, ἀναβὰς εἰς τὸ Πολύρρηνον, ἐν τούτῳ δὲ οἱ αἰχμάλωτοι τὰς ναῦς ἐνέπρησαν. cf. Zenob. V, 50 in Paroem. Gr. ed. Gott. I, 141.

16. In antiquissimis Chrysothemidis nomis, quos Delphis cecinit, draconem non Pythonem, sed feminei sexus Delphynam nominatam fuisse.

Haec igitur omnia si reputemus, satis certum videbitur, Tarrhae, qua in urbe Carmanor, Chrysothemidis pater, Apollinis sacerdos fuit, antiquissimum et sanctissimum eius dei cultum fuisse ibique fabulam inprimis de caede draconis et de Apolline ab Carmanore expiato domesticam fuisse. Chrysothemidem vero ut nomorum primum inventorem et cultorem fama celebravit; Proclus Chrest. p. 245 (ed. Westph.): Χρυσόθεμις ὁ Κρὴς πρῶτος . . . μόνος (i. e. sine chori ope) ᾖσε νόμον. Pausanias ex Delphorum hominum narratione tradit, vetustissimum omnino certaminum genus in ludis Pythiis fuisse cantum in honorem Apollinis. Pausanias hunc cantum "hymnum" vocat, sed quom eodem paene, quod aiunt, spiritu Chrysothemidem ut primum eius certaminis victorem nominet, probabilissimum videtur, a Pausania, si prorsus accurate loqui voluisset, pro hymno "nomum" potius nuncupari oportuisse. Pausaniae verba X, 7, 2 haec sunt: Ἀρχαιότατον δὲ ἀγώνισμα γενέσθαι μνημονεύουσι καὶ ἐφ' ᾧ πρῶτον ἆθλα ἔθεσαν, ᾆσαι ὕμνον ἐς τὸν θεόν· καὶ ᾖσε καὶ ἐνίκησεν ᾄδων Χρυσόθεμις ἐκ Κρήτης, οὗ δὴ ὁ πατὴρ λέγεται Καρμάνωρ καθῆραι Ἀπόλλωνα. Iam vero si quaeramus, quale nomi illius, qui primus et antiquissimus Delphis in Apollinem cantatus dicebatur, argumentum fuerit, nihil profecto quidquam verisimilius est, quam in eo nomo Apollinis cum dracone certamen enarratum fuisse; haec enim fabula et Tarrhae urbi, unde Chrysothemis oriundus erat, et Delphis communis est.

Monstri illius, quod Apollo interemit, antiquissimum nomen Δελφύνη fuit; nam sexus feminei eam fuisse, iam luculenter ex hymno Hom. in Apoll. Pyth. apparet, v. 122: ἔνθα δράκαιναν || κτεῖνεν ἄναξ . . . || ζατρεφέα, μεγάλην, τέρας ἄγριον, ἣ κακὰ πολλὰ || ἀνθρώπους ἔρδεσκεν ἐπὶ χθονί. Nomen ipsum serpentis, cum Typhone coniunctissumae, memoratum quoque est ab Apollodoro 1, 6, 3, 9. In Etymol. Magno p. 322, 2 Apollinis ἑκηβόλου nomen inde explicatur, quod deus centum sagittis monstrum Delphinem confecerit: ὅτι ἑκατὸν βέλη ἐπαφῆκε τῷ Δελφῖνι. Eandem rem, quamquam Pythonis pro Delphinis nomine posito, ex Simonidis aliquo carmine adfert Iulianus imperator Epist. 24 p. 395 D ed. Spanh.: Σιμωνίδῃ δὲ ἄρα τῷ μελικῷ πρὸς τὴν Ἀπόλλωνος εὐφημίαν ἀρκεῖ τὸν θεὸν Ἕκατον προσειπόντι . . . διότι τὸν Πύθωνα . . . βέλεσιν ἑκατόν, ὥς φησιν, ἐχειρώσατο. Delphynae vero nomen ex Creta insula Delphos allatum videtur; cum enim antiquior fama, qualis ex hymno v. 122 prodit, ea fuerit, serpentem illam sexus feminei (δράκαιναν) fuisse, cumque antiquissimi sacrorum Apollinis ad Crissam urbem (id vero est Κρῆσσαν πόλιν) conditores Cretenses dicantur: necessario sequitur, illius quidem nominis Δελφύνης patriam Cretam fuisse. Accedit quod Athenis quoque Apollo Delphinius colitur, cuius omnis ibi memoria cum fabulis Cretensibus coniunctissima est (Plut. Thes. 18). His omnibus de rebus elegantissume dixerunt O. Muellerus ad Aesch. Eum. p. 140 et Preller, Ausgewählte Aufs. (Berol. 1864) p. 249.

17. Vetustissimorum nomorum argumentum caedem draconis fuisse. Tam impetuoso argumento antistrophos, natura sua grandiores, non convenisse.

Iam igitur non nimiae, opinor, audaciae incusabimur, si vetustissimi nomi argumentum Apollinis cum Delphyna dracone pugnam fuisse statuamus. Idem iam suspicatus est vir praestantissimus et maxume harum rerum gnarus H. Guhrauer, der Pyth. Nomos p. 349 lin. 3. Hac coniectura admissa iam clarissimum videbitur, cur Aristoteles Probl. XIX, 15 dicat, nomos, qui antistrophos non habeant, natura sua magis mimeticos esse, quam chorica cantica, quae ad antistrophicam normam composita sint. Id igitur inde explicandum, quod nomi iam a primis incunabulis voce et modis musicis argumentum vehemens et concitatum, atrox et tumultuosum exprimebant. Nam mythus de pugna cum dracone ne cogitari quidem potest sine summo ab utraque parte impetu, hostili clamore, omni denique contentionis atque irarum genere. Itaque quamquam Aristotelis aetate argumentorum, quae in nomis componendis poetae prosequebantur, summa varietas erat, tamen vel in hisce aevi longe posterioris quasi propaginibus antiquom illud nomorum ingenium, quod propter antiquissimum pugnae adversus draconem argumentum innatum quodammodo nomis erat, sibi constitit. Inde clarissume nunc Aristotelis verba intellegi poterunt Probl. XIX, 15: καθάπερ οὖν καὶ τὰ ῥήματα, καὶ τὰ μέλη τῇ μιμήσει ἠκολούθει ἀεὶ ἕτερα γινόμενα.

18. In *nomo Pythico auletico* quinque partium nomina quinque proelii actibus respondent. Simile quid fuit in nomo citharoedico.

Pugna vero cum dracone, quam luculenter depicta in nomis fuerit et quemadmodum, tanquam per gradus et actus, totius proelii progressus a primis initiis usque ad caedem draconis adumbratus fuerit, egregie ex *nomi Pythici auletici*, qui solis tibiis ab uno semper tibicine peragebatur, quinque partibus intellegi potest. Earum partium nomina ad proelii illius quasi actus spectant; servata ea sunt cum ab aliis, tum optime a Polluce IV, 84: τοῦ δὲ Πυθικοῦ νόμου τοῦ αὐλητικοῦ μέρη πέντε, πεῖρα, κατακελευσμός, ἰαμβικόν, σπονδεῖον, καταχόρευσις. Pollux singularum partium definitiones adicit: καὶ ἐν μὲν τῇ πείρᾳ διορᾷ τὸν τόπον, εἰ ἄξιός ἐστι τοῦ ἀγῶνος. Apollo et locum et beluam speculatus erat ex loco edito, cui Τοξίου βουνός nomen erat. Hesychius s. v. Τοξ. βουνός· τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ ἐν Σικυῶνι. βέλτιον δὲ ἀκούειν τὴν ἐν Δελφοῖς Νάπην λεγομένην. ἐκεῖ γὰρ ὁ δράκων κατετοξεύθη. Post πεῖραν sequebatur draconis ad pugnam provocatio. Pollux l. s.: ἐν δὲ τῷ κατακελευσμῷ προκαλεῖται τὸν δράκοντα. Ea vero pars, quae medium locum obtinebat, ipsam pugnam, τὸ ἰαμβικόν, complectebatur. In ea duae res memorabiles erant, pugnae atrocitatem significantes: tubarum sonitus et stridor dentium; Pollux l. c. ἐμπεριείληφε δὲ τὸ ἰαμβικὸν

καὶ τὰ σαλπιστικὰ κρούματα καὶ τὸν ὀδοντισμὸν ὡς τοῦ δράκοντος ἐν τῷ τοξεύεσθαι συμπρίοντος τοὺς ὀδόντας. Post ἰαμβικόν duae postremae iam partes haud dubiam Apollinis victoriam ostendunt. Pollux: τὸ δὲ σπονδεῖον δηλοῖ τὴν νίκην τοῦ θεοῦ. ἐν δὲ τῇ καταχορεύσει ὁ θεὸς τὰ ἐπινίκια χορεύει. Haec omnia, si a singulari illo tubarum usu (σαλπιστικὰ κρούματα) discedas, assis, quod aiunt, tibiis artificiosissime exprimebantur. Pollux IV, 81 nomum illum auleticum Pythicum τὸ ἄχορον αὔλημα, τὸ Πυθικόν vocat. Pollucis hoc testimonium prorsus recte se habere, nec de aliorum instrumentorum vel chororum, seu canentium seu saltantium, ope et interventu cogitandum esse, egregie Guhrauerus, der Pyth. Nom. p. 327 et aliis locis demonstravit, cui adsensus est Theodorus Schreiber, Apollo Pythoktonos (Lips. 1879) p. 23. Eandem de nomo Pythio sententiam eodem etiam, quo Guhrauerus sua commentatus est, tempore, ut alter alterius operam ignoraret, Eduardus Hiller professus est in Mus. Rhenan. vol. 31 (1876) p. 82. Nec Bergkii, Hist. Litt. Gr. II, 221 extr. sententia discrepare videtur.

19. Nomus citharoedicus quum auletico aetate prior sit, suspicari licet in argumento disponendo vetustiorem iuniori viam praeisse.

Iam si quaeratur, ex nomis illis uter vetustior sit, citharoedicus, qui voce ad citharam canitur, an auleticus, qui ψιλῇ αὐλήσει i. e. assis tibiis constat, Delphis quidem haud dubie, id quod certissimis testimoniis evincitur, citharoedicus nomus antiquitate praevertitur. Pausanias X, 7, 4 tradit, citharodiam iam ab antiquissima memoria Delphis in certaminibus musicis Pythicis usitatam fuisse. Auleticam et aulodicam artem ab Amphictyonibus post Cirrham demum deletam anno Olymp. 48, 3 = 582 a. Chr. admissas esse: τῆς τεσσαρακοστῆς ὀλυμπιάδος καὶ ὀγδόης . . . ἔτει τρίτῳ ἆθλα ἔθεσαν . . ., κιθαρῳδίας μὲν καθὰ καὶ ἐξ ἀρχῆς (in his igitur nil mutatum), προσέθεσαν δὲ καὶ αὐλῳδίας ἀγώνισμα καὶ αὐλῶν i. e. concertationes et eorum, qui voce ad tibiae modos canerent, et eorum, qui assis tibiis modos ederent. Hoc postremo artificio nomus Pythicus auleticus continebatur. Quom igitur citharoedicus nomus, quem Chrysothemis primus in eam, quae legitima deinde facta est, artis formam redegisse et excoluisse traditur, Pythico illo aliquanto antiquior sit, omnes numeros probabilitatis hoc habet, illas partes, in quas nomus citharoedicus dividitur, ipsas quoque respondere gradibus illis et actibus, per quos proelium cum dracone procedit. Unum tantummodo inter duos illos nominum ordines interest: nomi Pythici auletici partes ab ipsius rei gestae gradibus et ab argumento proelii adversus draconem nominatae sunt, cum nomi citharoedici partes ab artis forma nuncupatae sint: ἀρχά, κατατροπά, ὀμφαλός, μετακατατροπά, σφραγίς.

20. Nomi prisci poetae non propter divisionis in partes symmetriam, sed propter argumentum concitatius antistrophos respuebant; quod non cadit in Pindarum.

Iam igitur ut eorum, quae paullo de hac re copiosius disputavimus, nunc summam colligamus: ab eis eruditis, qui nullam inter nomum priscum Terpandri et Pindari carmina cognationem intercedere contendunt, hoc quoque pro argumento allatum est: priscos nomos antistrophos non habuisse; Pindari vero carmina pulcherrimis antistrophis praedita esse; necessario igitur sequi, ut inter ea carminum genera nullus consensus statui possit. Hoc argumentum aliquam haud dubie vim habet. Nos ipsi in superioribus demonstravimus, nomi prisci, qualem auspicatus est Chrysothemis et excoluit Terpander, eam naturam fuisse, ut eo carmine proelium Apollinis cum dracone, tumultus ille tam armorum et ictuum, quam fluctuantium et spumantium in pectore affectuum voce et citharae modis, tanquam oculis subiecta, musicis quasi coloribus pingerentur. Tali carmini quietam sane et placidam stropharum et antistrophorum, magna gravitate incedentium, formam nullo modo aptam fuisse. Immo alia est responsionis forma, quam nomus sequitur: partes vel binae vel ternae sunt ante et post omphalum aequabiliter dispositae. In omphalo, qualis fuit ab initio, ipsa Apollinis cum Delphyna pugna descripta erat; sagittarum grandines (nam centum sagittis confecta dicebatur), beluae furor exaudiebatur. Nomi antiquissimi argumentum ex Apollinis fabulis desumptum erat; Proclus Chrest. p. 244 (ed. W.): ὁ μέντοι νόμος γράφεται μὲν εἰς Ἀπόλλωνα. Postea nomi ad alios quoque deos et alia argumenta translati sunt. Iam si quaeras, quid ex nomo Pindarus in suum usum transtulerit, dicendum erit: partium ordinem et dispositionem eum a nomis mutuatum esse; alterum vero illud, quod nomorum proprium et peculiare est, ut antistrophis careant, Pindarum repudiasse. Nam Pindari argumenta granditatem et quietam sublimitatem spirantia, formam etiam placidiorem et grandiorem requirebant.

21. Tertium argumentum, quo Pindari cum Terpandro animorum foedus refelli solet: Pollux IV, 66 Pindaro adversatur.

Sed iam tempus est ad tertium argumentum accedere, quo ei eruditi, qui Pindari carminibus cum nomis Terpandri nullam cognationem esse arbitrantur, rem plane profligari et confici posse censent. Hoc argumentum nititur potissimum celebratissimo illo Pollucis IV, 66 loco, quo septem nomi Terpandrici partes enumerantur. Nam illa nomi imago, quae earum partium compositione et serie efficitur, non omnino consentit cum Pindari carminum compositionis forma, quae clarissime ex unoquoque carmine relucet. Pindari carminum structuram supra carminis Ol. XIII exemplo illustrare studuimus; atque

nullum paene poetae in arte sua diligentissimi carmen ab illa norma discedere egregie Fridericus Mezger in opere praestantissimo: "Pindar's Siegeslieder" demonstravit. In Pollucis indice spatium illud, quod ante omphalum est, locupletiorem ornatum ostendit eo, quod post omphalum sequitur. Collocantur ante omphalum ἐπαρχά, ἀρχά, μεταρχά, κατατροπά, μετακατατροπά; post omphalum solae σφραγίς, ἐπίλογος. Apud Pindarum eparchae et metarchae memoria haud satis clara primo adspectu videtur; metarcham ab archa non diversam esse Westphalius, Prol. in Aesch. p. 79 opinatur; eparcham Bergkius, Hist. Litt. Gr. II, 211 no. 29 ne apud Pollucem quidem ferendam censet, utpote vocem "sensu cassam". Deinde metacatatropa apud Pollucem ante omphalum posita mirum quantum a Pindari ratione distat.

22. Ingeniosissimum Bergkii inventum de duobus Callimachi carminibus ad nomorum antiquorum normam conformatis.

Sed hoc nondum satis est querellarum. Accedit alius cuiusdam litterarum monumenti eximia, quam Bergkius sagacissime acutissimeque perspexit, auctoritas, qua Pollucis testimonium tale, quale traditum est, confirmatur: duo Callimachi nomi ad priscam normam compositi; conf. Bergkium, Hist. Litt. Gr. II p. 213 et 219. Quae omnia si consideremus, qui quidem paullo timidior sit, metuere possit, ne de blandissimo illo invento de Pindari et Terpandri animorum quodam foedere actum sit. Nam quasi agmine facto adversariorum copiae stipatae in illud Palladium nostrum ingruunt. Sed spes deponenda non est: fortasse si recto voltu illa terricula minacissima intueare, emollientur paullulum et quae nunc tam rigida videntur, posito supercilio ipsa blanda et officiosa fient. Theodorus igitur Bergkius, vir ingeniosissumus, in duobus carminibus pulcherrimis, hymno, qui vocatur, in Cererem et Lavacro Palladis, Callimachum priscam nomorum formam in vitam resuscitasse, rectissime haud dubie intellexit. Atque ambo illa carmina eam imaginem, quam in Pollucis testimonio (IV, 66) adumbratam inveniamus, luculenter confirmare contendit. De lavacro Palladis facile unumquemque Bergkio adsensurum esse crediderim, nam poeta ut partes nomi clare et perspicue distinerentur, formulis recurrentibus interpositis prospexit; atque haec membra accuratissume cum Pollucis schemate congruunt et lucem etiam obscurato apud Pollucem ordini et dispositioni adferunt.

De Cereris hymno Bergkio in ea quidem re adsenserim, nomum eum esse ad normam Terpandri compositum; verum enim vero hic nomus aliam paullulum structuram habet, atque Palladis lavacrum, eandemque ob caussam cum Pollucis ea nomi imagine, quam Bergkius Polluci tribuit, minume congruit. Sed hic quoque Callimachi antiquissimae poesis ad vitam resuscitandae conatus, qui in Cereris hymno propositus est, plurimum confert ad Pollucis locum illustrandum; Pollucis enim definitio duas diversas nomorum formas coniunxit; ea coniunctio non recte vel ab ipso Polluce vel — quod malim — a

librariis intellecta perturbationem quandam effecit, qua nunc praestantissimum Pollucis testimonium impeditum est.

23. Palladis lavacrum cum Polluce egregie conspirat. Fuit forma quaedam nomorum, in qua metacatatropa ante omphalum collocata esset.

Verum haec, quae in universum nunc posuimus, argumentis firmanda sunt. In Lavacro Palladis omphalus, quo fabula de fato illo Tiresiae, Chariclus filio, quo oculorum lumine orbatus est, enarratur, clarissume a reliquis partibus distinguitur; porrigitur *omphalus* a versu 57: παῖδες, 'Αθαναία νύμφαν μίαν ἐν πόκα Θήβαις ad vers. 130: . . . μεγάλῳ τίμιος 'Αγεσίλᾳ. Post omphalum non minus clare *sphragis* circumscripta invenitur v. 131—136 (ἁ θυγάτηρ), qua Palladis aequata ferme cum ea, quae Iovis est, potentia praedicatur, v. 133: δῶκεν 'Αθαναίᾳ πατρώια πάντα φέρεσθαι. Denique *epilogus* quoque maxume perspicuus v. 137—142, quo ipsam iam Minervam precibus obsecutam in coetum venerantium advenisse nuntiatur.

Iam spatium illud carminis, quod omphalum praegreditur, considerandum, in quo singula quaeque mirum quantum cum Polluce congruunt. Bergkius apud Pollucem hunc partium nomi ordinem restituendum censet, hist. litt. Gr. II p. 211 no. 29: ἑπτά· ἀρχά, μεταρχά, κατατροπά, μετακατατροπά, sublato quod Cod. *C* post ἔπταρχα habet ἐπαρχεῖα vocabulo. Bergkius igitur hanc apud Pollucem nomi imaginem informat: duo paria membrorum ante omphalum fuisse, quorum utrumque priori parti alteram partem praepositione μετά auctam adiunxerit: archam, metarcham; catatropam, metacatatropam. Illas binas partes in unam semper quasi bigam coniunctas et sententiis et verborum formulis similibus strictius inter se conexas fuisse.

Hoc ipsum Callimachi carmine, lavacro Palladis, adprime confirmatur. *Archa* est v. 1—12; *Metarcha* v. 13—32; poeta in ambabus partibus mulieres Argivas, quae sacris operam navaturae sint, ex aedibus exire et pompam sequi iubet: illud quoque, quod gratissumum Minervae in simulacro suo exornando futurum sit: si a nimio luxu abstineant, venuste persequitur. Recurrit in exordio et archae et metarchae eadem formula v. 1: ἔξιτε πᾶσαι, || ἔξιτε, et v. 13: ὦ ἴτ' 'Αχαιάδες. Idem prorsus cadit in *Catatropam* v. 33—42, et *Metacatatropam* v. 43—56; argumentum est: sacrorum rituum in lavacro Minervae descriptio et originum eorum sacrorum brevis quaedam expositio. In exordio ambarum partium Minerva, uti adparere et sacris propitia interesse velit, rogatur, v. 33: ἔξιθ' 'Αθαναία· πάρα τοι καταθύμιος ἴλα, et v. 43: ἔξιθ' 'Αθαναία περσέπτολι, χρυσεοπήληξ.

24. Callimachi hymnus in Cererem cum altera nomorum forma conspirat, in qua metacatatropa omphalum sequitur.

Quae cum ita sint, Callimachi Lavacrum Palladis unius certe nomorum formae, cuius apud Pollucem memoria extat, elegantissimam explicationem exhibet. Eadem opera intellegitur, eum nomi partium ordinem, quem Bergkius apud Pollucem restituit: archam, metarcham; catatropam, metacatatropam, re vera in usu fuisse; eam enim ipsam normam ad perpendiculum quod aiunt Callimachus expressit. Hoc igitur optime Bergkius administravit. Sed in Cereris hymno Callimacheo minime eadem nomi norma et imago expressa est, atque in Palladis lavacro. Huius carminis compositio ei potius, apud Pollucem nomi Terpandrici schemati respondet, quod in perturbata Pollucis enarratione paene obscuratum et oppressum latet. *Omphalus* eius in Cereris honorem carminis atrocem illam de Erysichthonis scelere et supplicio fabulam illustrat, v. 25—116. *Omphalum haud dubie sequitur metacatatropa* v. 117. 118. Hanc excipit *sphragis* v. 119—134; denique *epilogus* v. 135—139. Spatium carminis ante omphalum ornatissime compositum, sed non ea ratione, qua in Palladis lavacro. Praemittitur *Prooemium* v. 1—6, sequitur *Eparcha* v. 7—9; hanc excipit *Archa* v. 10—17 (καὶ οὐ φάγες οὐδὲ λοέσσω). Post archam est *Catatropa* v. 18—24 (ἰδέσθαι). Huius schematis apud Pollucem vestigia etsi obscurata sunt, tamen e tenebris erui possunt. Prooemium sane Pollux plane omisit; id inde explicandum crediderim, quod prooemium cum eparcha pro una parte numerabatur. De *Eparcha*, quae archam praecedit, codex *C* apud Pollucem testimonium clarum sine fraudis suspitione dicit; quare non video, cur haec pars respuenda sit.

25. Duorum nomi generum definitiones apud Pollucem conflatae. Pindarus cum in carminibus non chorum, sed unum se canere fingit, nomos ea esse probat.

Pollux igitur apud auctorem suum duplicem nomi formam invenerat; primam talem: eparcha, archa, catatropa, omphalus, metacatatropa; alteram hanc: archa, metarcha, catatropa, metacatatropa, omphalus. Has duas nomi formas Pollux non satis accurate distinxit, sed alteram cum altera perperam conflavit; nisi librariis potius hic error tribuendus sit. His omnibus perpensis et consideratis minume iam dubium videri poterit, utram nomorum formam Pindarus imitatus sit. Praetulit eam structuram, in qua carminum spatia illa duo, quae sunt et ante et post omphalum, magis ad symmetriae et aequabilitatis legem exacta essent, hoc est eam, in qua metacatatropa omphalo postposita est.

Unum praeterea est, quod egregie cum illa sententia, Pindari carmina ad nomorum priscorum formam exacta esse, consentit. Pindarus in omnibus carminibus eo loquendi genere utitur, quasi non a choro carmina canerentur, sed tanquam ipse solus suo ore

ea pronuntiet, quae in amicorum honorem composuerit. Nihil in poesi Pindarica frequentius est, quam primae personae usus. Atqui prima persona semper de ipso poeta et de uno solo poeta, non de choro, intellegenda est, licet aliud quid significet Scholiasta ad Pind. p. 383 med. ad v. 96 et p. 397 extr. ad v. 79. Haec Pindari consuetudo, quae, si rem premas, fictione quadam nititur, commodissume inde explicari potest, quod nomi semper ante Timotheum Milesium sine chori ope solius tantummodo citharoedi voce cantati sunt. Quid sequatur vides: *Pindari carmina nomi sunt.*

ADDENDA

Ad p. 4, lin. 2. De accentu eorum vocabulorum, ex artis usu depromptorum, bene praecepit Bergkius in tractatu: Griech. Litteratur, ex opere: Ersch et Gruber, "Encyclopaedie" seorsum excuso in sylloga illa "Hellas", Lips. 1870, vol. I, p. 342, b, extr. not. 42.

Ad p. 16, lin. 5. De Carmanore vel Chrysothemide doctum Tibulli IV, 1, 8 dictum intellegendum videtur: *etiam Phoebo gratissima dona* || *Cres tulit;* quod recte sensit O. Mueller, Dor. I^2, 208 no. 6.

Ad p. 22, lin. 21. Praepositio ἐπί in ἐπαρχά voce eundem sensum habet, quo praedita est in compositis ἐπίγαμος, ἐπίτοκος, ἐπίτεξ. cf. Phryn. ed. Lob. p. 333. Apud Dion. Hal. 4, 28 cod. Urbinas habet: τὰς κόρας ἐπάκμους γενομένας.

Sed iam eis rebus, quas quondam veteres Graeci ut Palladia sua venerabantur, omissis nunc ad summum illum populorum Germaniae animorum thesaurum nos convertamus, in quo venerando pulcherrimis pectora nostra flammis incalescunt; ad eam imaginem, quae mentibus nostris infixa et amoris caelo insculpta inenarrabili nobis felicitati, ornamento, praesidio est: ad augustam dilectissimamque patris patriae speciem. Recurrit enim dies auspicatissimus et omnium Germaniae filiorum ab hisce patriae praecordiis ad remotissimas oceani oras intimis votis expetitus, quo die IMPERATOR GERMANORVM GLORIOSISSIMVS REX NOSTER CLEMENTISSIMVS GVILELMVS lucem adspexit. Indicenda igitur sunt sollemnia ab hac nostra universitate cum universa patria pie concelebranda. Publicae autem gratulationis et communium votorum interpres existet vir illustrissimus RVDOLFVS CLAVSIVS, RECTOR VNIVERSITATIS MAGNIFICVS. Eius ut orationi ceterisque sollemnibus prompto lubentique animo intersint, ipsius inlustrisque senatus nomine curatorem universitatis egregium, professores amplissimos, doctores clarissimos, commilitones ornatissimos, magistratus regios imperatorios urbicos spectatissimos et quicunque rebus nostris ac litterarum studiis bene volunt, qua par est observantia rogamus invitamus.